



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra

Hevenesi, Gábor

Coloniæ, 1715

VD18 10988289

29. Septembris. Vnius casus cæteris est terrori, & multorum fervori in via virtutis teporem aspergit. S. Ignat. Epist. ad Hispan.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

29. Septembris.

*Unius casus ceteris est terrori, & multorum
fervori in via virtutis teporem aspergit.*

S. Ignat. Epist. ad Hispan.

VÆ! homini illi, per quem scandalum
venit, tot mortes subire dignus, quot
ii sunt, quibus pravo exemplo spiritum
minuit. Majorum peccata, sunt plurium in
minoribus irritamenta.

Potior mali, quàm boni exempli vis est;
illud naturam habet adjutricem. Rarus
Hercules contra hos duos. Plus unâ horâ
malleus destruere potest, quàm centum
horis instaurare.

Virorum perfectionis studio addicto-
rum exempla, si prava sint, magis nocent;
talia non solùm docent malum, sed & eru-
bescentiam adimunt, peccandique fidu-
ciam creant: bene secum agi credunt, dum
eos sequuntur, qui dati sunt in normam
gregis.

Si aquarum fontes, unde potant universi,
si, veneno corrumpantur, quanta in popu-
lo strages! par animarum timenda perni-
cies, ubi corruptis moribus putruerunt
illi, qui peccata prohibere debuissent.